



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. VI. An possit dari mutua naturæ prioritas inter duas Causas morales, aut physicam unam, & moralem alteram?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

nem. Deinde sunt quidam effectus simultanei, qui videntur ab invicem mutuò producti; ut cum manus calefacit chirothecam, & chirotheca manum, cum tamen ab eadem aut iisdem causis proveniant, uti in hoc casu ab igniculis, cessante agente contrario extrinseco, motis, & collectis. Præterea sublatio impedimenti videtur subinde causa effectus, cum tamen per eandem actionem removeatur, uti apertio fenestræ, quæ non est causa, cur ventus ingrediatur, sed effectus ejusdem impetus, qui ventum propellit, & fenestram aperit. Sed hæc & similia levioris sunt momenti, quàm ut pluribus hæc referantur.

§. V.

An possit dari mutua naturæ prioritas inter duas Causas morales, aut physicam unam, & moralem alteram?

QUI possibilitatem affirmant, eam in gemino casu conantur ostendere. 1. DEUS revelet Regi, Belli-Ducem quemdam victoriam insignem à Regis hostibus relaturum, non addito modo & instrumento, quo eam sit obtenturus: Rex verò donet Duci gladium in præmium anticipatum victoriæ, non ut gladio illo victoriam obtineat, sed quia illam unde demum obtinebit; Belli-Dux autem accepto gladio utatur, eodémque victoriam reportet, quæ obtineri potuisset sine hoc gladio. In hoc casu procul dubio possibili, victoria futura est prior naturâ ad gladium in genere causæ moralis; gladius autem est prior naturâ ad victoriam in genere causæ physicæ. 2. Ponamus revelari alicui militi, ipsum cras in carcerem conjectum iri: hæc autem conjectio futura moveat militem ad blasphemandum, non ut in carcerem mittatur, sed quia mittetur; tum verò hæc ipsa blasphemia moveat judicem ad militem conjiciendum in carcerem: en iterum mutuam prioritatem inter duas causas morales.

Qui tenent oppositam sententiam, dicunt, victoriâ non esse naturâ prioram ad gladium; quia nempe non est realiter aliunde existens, quàm dependenter à gladio. Unde dicunt, Regem ad donandum gladium moveri à victoria futura tanquam à causa morali, seu quia est futura tantum conditionatè, sub hac scilicet conditione, si victoria aliunde est futura, quàm per ipsum gladium; si verò est futura per ipsum gladium, moveretur à victoria ad donandum gladium tanquam à causa finali; quia præmians non supponit, quod meritum sit aliunde quàm ab ipso præmio. At verò Auctores prioris sententiæ dicunt, non opus esse, ut victoria sit aliunde realiter, sed satis esse, quod sit aliunde præcisi-
fivè, in quantum nempe cognoscitur ut absolutè futura; præscinditur tamen à modo, & non cognoscitur dependenter à quo futura sit. Ex quo vides, hanc esse puram quæstionem de nomine, in qua disputatur, quomodo particula *aliunde* in definitione prioritatis naturæ intelligenda sit: si enim velint intelligi aliunde realiter, clarum est, non dari mutuam prioritatem; si verò sufficiat intelligi aliunde præcisi-
fivè, non apparet, qua ex parte mutua prioritas repugnet.

CAPUT